
Nobile Collegium Mollinense - Sancti Caroli -



IO: BAPTISTAE TARASCONI Sac.

HODŒPORICON CHOLERAE INDICAE

a mense augusto an. 1817 ad martium exeuntem an. 1832

Qua Ganges centum dextrorsum praefluit urbes,
Et centum biferos agros fecundat arena,
Exitiosa lues, quam prisci nomine Graii
Dixerunt Choleram, indos transmittere fines
Nescia, ut unda maris nativum nescia littus,
Aeternum tamquam propriis saevibat in oris
Aeterno caeli vitio: at nunc primitus exit
Jussa foras; neque enim superi sine numine Regis
Supplicia insuetis culpis insueta parantis,
Rumperet obiectas tanto post tempora metas.
Hinc Pavor, hinc Letum et Luctus comitantur euntem.
Non avium errabunda cohors, aut saeva ferarnm
Semina, nec pelagi proles, ex omnibus una
Gens hominum appetitur, divini causa furoris.
Principio languent vires, gravitate laborat
Vel vacuus stomachus, vertigine tempora, nervi
Spasmo, oculi nebulis, crebrisque sonoribus aures:
Intestina tument, crepitum dant, spiritus aegro
Singultu attractus; fauces premit angor obesas.
Nil medicae valuere artes; violentia raptim
Immansueta mali crudescit. Viscera diris
Morsibus; os vomitu, simul exercerier alvus
Proluvie crebra, ingenti; ceu corpus utrinque
In saniem omne iret, gluten quae ductile tactu,
Aspectu cinerem simulat. Tremor occupat artus,
Extremaeque rigent rugoso frigore partes;
At fibrae introrsum rapido torrentur ab igne;

Os inhiat, nulloque sitis restinguitur haustu.
Nec satis: infandus miseros dolor acrius urit,
Non secus ac rostro mordaci pectora vultur,
Aut trahat ore canis, contractaque crura lacertosque
Arripiat forceps: magno molimine versant,
Seque in membra plicant; veluti sibi redditus anguis,
Seminecem media quem pastor liquit arena.
Si necopina quies longo subiisse labori,
Omneque cum leto visum certamen abesse;
At sudoris eat membratim frigidus humor,
Pes, manus et vultus maculis varientur obortis;
Heu, male tum quisquam propius spectare dolorum
Crediderit finem, portumque salutis apertum.
Nam magis atque magis furtim praecordia carpsit
Pernicies victrix, fessosque exinde per artus,
Perque omnes regnans concreto sanguine venas,
Multa reluctantes elisit corpore vires:
Non oculos visum, aut aures vox ulla lacessit,
Vita fugit, tacitae subeunt vestigia mortis.

Jam Sundam peregrina lues, semperque virentes
Maniolas, priscisque incognita regna, Molucas
Continuo invasit; posthinc mirabile vallum,
Quod regno posuere suo, ardua mœnia, Sinae,
Exsuperat. Crudeli absumit funere late
Quot populos, Aurora, tuum complectitur aequor,
Et quot alit tellus nullo circumflua ponto.

Heu caeli ignarae mentes! quid monstra Deorum
Mendaci fabricata manu, et simulacra ferarum,
Queis miseros ludit varia sub imagine daemon,
Vana superstitio placat? Quid compita circum
Longis ire juvat pompis? Quid sacra novatis
Barbara, et humanae vitae mactantur ad aras?
Vota precesque Deo tandem convertite vero;
Ipse dabit veniam, neque poenas proferet ultra.

Nec minus in Boream pestis contendit et Austrum;

Ac neque eam medii maris aequora foeta procellis
Tractibus immensis, nec inhospita tesqua morantur
Ignibus aut glacie; non qui se vertice tollunt
Nubifero montes. Tenuit velocior Euro
Quas Bactri exercent, quas Persae vomere terras,
Quas Erythraea marisque hyrcana binominis unda
Humectat; tumido pingues qua flumine arenas
Nilus, qua pingues Euphrates aemulus infert.
Non tot prima solent autumni frigora frondes,
Nec metere agricolae, fervens ubi canduit aestas,
Auricomas segetis spicas, quot corpora dirus
Per Scythiam morbus, septemque sub axe trionis.
Morti turmatim, nullo discrimine sexus,
Ordinis, aetatis, dantur. Viduata colonis
Arva, casae squallent, pecudes armentaque languent
Impasta, aut mixtim nullo custode vagantur,
Qua potus trahit et gramen. Sed plaga frequentes
Percellit gravior cives, faciemque superbis
Urbibus immutat: subit omnia luctus et horror:
Limina clausa, viae clamore ac mercibus orbae.
Nam cum morte furit, cumulumque laboribus addit
Suspicio, monstrum, quo non praesentius ullum
Attonitos agitare animos, et subdere cœcos
Pectoribus stimulos, miserosque creare timores.
Hanc, simul incaluit primum madefacta cruore
Humano, genuit tellus, jussitque vaganti
Ultricem sceleris, caedisque instare Caïno.
Jam vero invasit cives, gelidumque medullis
Inspirat virus, mentesque pavoribus implet.
Tuta, intuta pavent; miserum! se credere nulli
Audentes, sociae dirimunt commercia vitae.
Quos cœpit morbus, solo ceu littore quondam
Naufragus exspirans, languent longumque gementes
Qui det opem implorant, supremaque munera mortis.
Frustra. Singultus non audit amicus amici;

Vir non uxori, non uxor fida marito,
Nec pietas natis, nec cura parentibus ulla.
Pars tectis secreta latent; pars moenia raptim,
Non secus atque hostis capta si barbarus urbe,
Aut furerent flammae per templa domosque volutae,
Effugiunt, in aperta volant, loca sola, suosque
Inque salutatos mediaque in morte relinquunt.
Non, non ista patent spectacula barbara rerum
Format ubi pietate animos, mollitque feroces
Relligio Christi. Cura illic mutua praesto,
Illic sunt lacrimae, sua sunt solatia poenis.
Ante omnes varius gentis levitidis ordo,
Quo gemitus vel signa vocant, occurrere gaudent
Non timidi pro fratre mori. Te, Christe, sequuntur
Sanguinis et vitae pro vita prodige nostra.
Nunc medicos latices, et nunc fomenta ministrant,
Omnimodisque levant qua possunt parte, labores;
Qua non posse datur, suadent superare ferendo.
Atque ubi nulla salus, vincitque potentia morbi,
Ut propius capitis subeunt discrimina! ut aegros
Alloquio in poenas firmant, pulsoque timore,
Inspirant animis vitae caelestis amorem!
Huc oculos, fratres, huc omnem flectite mentem:
En Christi, aspicite, en Christi patientis imago.
In cruce jam toto laceratus corpore pendet;
Palmas atque pedes ferro traiectus, et ipsum
Consertis cerebrum spinis (eheu dolor, eheu!)
Transfixus languet, vitaeque extrema relinquit.
Nos, nos; ille quidem potuit nil tale mereri.
Dulce pati, Christo patiente, juvanteque Christo.
Ipse animos viresque addit: timor omnis abesto
Quas fortis poenas, fortis patientia lucro
Apponat, placideque luat quae debita culpis
Supplicia, ut sceleris puros et abire paratos
Advocet Omnipotens tandem Pater. En erit unquam

Hora, peregrinae functos quae munere vitae
Aetheria sistat patria, superumque beatis
Coetibus adjungat? Mariam quae noscere matrem
Unumque trinumque Deum sine nube tueri,
Aeternumque frui post tot discrimina donet?
His recreata modis nil mens mortale revolvit:
Nec jam se queritur plecti, solvique recusat;
Sed magis ire foras, nodosque erumpere gestit
Corporis impatiens: qualis, quibus incidit, arctas
Cerva plagas, aut acer equus retinacula, notae
Quum cecinere tubae, et certaminis hausit amorem.
Tantum relligio juvat ipso in limine mortis!
Quid nova moliris, quidve audes credula Gallis
Varsavia infelix! Geminas, viden'? ipsa lacessis
Cladis inauditae caussas, dominumque potentem,
Quique comes graditur quovis violentior hoste
Armorum domitor, monstrum insuperabile, morbum.
Horruit aspectu instantis discriminis ictus
Pannonius, belloque asperrimus accola silvae
Hercyniae: toto pater ipse exterritus amne
Danubius, simul et contractis cornibus Albis.
Frustra Germani venientem avertere tentant
Contagem, finesque omni defendere opum vi.
At tibi securae quis, magna Lutetia, terror,
Quum regina ex urbe britannide, fulminis instar
Quae media occurrunt parcentis tangere, lapsam
Ante exspectatam sensisti in viscera pestem?
Jamque malum Ausoniae pulsat confinia. Frustra
Nos mare, nos alpes, nos muniit Apenninus.
Communem poscunt communia crimina poenam.
Quem latet ira Dei? dubiis num prodita signis?
Non alias variante dies ferrugine plures
Sol tulit, aut toties serae sub tempora noctis
Cardine ab occiduo lugubre ignescere longos
Sanguineae lucis tractus, obitumque diei

Vidimus ambiguum. Quoties jam funditus urbes
Contremuere, simul ruere omnia visa profundum
In barathrum, rerumque sequi commune sepulcrum?
Quin etiam lacrimata ferunt simulacra per aras,
Et volvisse oculorum orbes, et sancta virorum
Corpora, quae templis servata et honoribus aucta
Adsunt supplicibus, vivo manasse cruore.
Num genti interea mortali audacia cessit
Irritare super, culpisque lacessere Numen?
Per fas, perque nefas ruit: in ludibria versus
Relligionis honor: scisso velamine luget
Cum Pietate Fides: terras Pax alma reliquit.
Omnes, tartareis quas impia turba sophorum,
Contemptrix Superum et saecli omnituentis origo,
Sedibus eduxit, pestes bacchantur in orbe.
His caecas acti in furias ferrumque rebelles
Consurgunt populi; supremos inter et imos
Ira venit media et non enarrabilis aestus.
In fratrem arma movet frater: non fabula, sed res
Nunc agit Oediponiadas; nunc omnia cedunt
In pejus, nullumque capit vesania finem.
Tot scelerum facies, ac tot praesagia quondam
Vix fore crediderim summae praenuncia cladis,
Quam demum feret una dies, quum maxima mundi
Machina lustrali data praeda cremabitur igni.
Quis lenire Deum culpis extrema minantem
Occupet? Aut quis opem saeclo properare ruenti?
Ac velut Aegaei campis invectus apertis.
Quum vada misceri et cautes albescere longe
Spumantes, ea signa videt prodentia nautis
Fulminibus gravidam et ventorum turbine noctem,
Tollit ad astra manus, votisque paciscitur aether
Ne ruat iratus, neu puppes hauriat unda:
Sic trepidi rerum Superos, praeque omnibus unum
Te cui majores, revocati a limine leti,

Festam voverunt pompam, annua sacra, diemque,
Nosque hos nunc, olim et semper reddemus honores,
Te, Pater, auxilio per vota precesque vocamus.
Ne renuas placare Deum: placabilis aurem
Is tibi praebebit, pro cujus honore tyrannos
Sprevisti, ac laetus poenas mortemque tulisti.
Quo tamen optatum magis impetrabile fiat,
En, age, divinae radios ante omnia lucis
Nobis, Sancte, roga, coecas quae mentibus umbras
Discutiat, causamque mali dans noscere culpas
Pectora succendat priscae virtutis amore.
Sancte, fave, nostroque bonus succurre labori.
In morbos eadem tibi, et impia in arma potestas.
Sat famis et febrium, sat belli sensimus iras.
Hac gemuisse tenus liceat. Se rursus in orcum
Praecipitent, superosque levent furialia monstra.
Mille adamantei vectes, centum aerea claudant
Ostia; et ore fremant, rabidisque exercita rixis
Mutua se lanient, pugnamque in saecula ducant.
Huc ramum interea semper frondentis olivae
Pax referat, tendensque aequato examine lances
Justitia occurrat Paci, et simul oscula jungant.
Jamque ambas pariter, reserato limine caeli
Devocat, omnigenis dum certa piacula noxis,
Seque Deo medium et miseris mortalibus offert
Gregorius, Latii ille parens communis et Orbis;
Flet tenditque manus, natosque in foedera poscit.
Pro populis reges, populos pro regibus orat.
Ah tanti lacrimae moveant et munera Patris.
At nos usque tuos, Heros Narbonice, in astra
Tollemus plausu ac memori pietate triumphos.
Victor, io; Pacator, io; tu Numinis iram
Mulces; tu mortale genus tutaris; avernae
Te Furiae tremuere; tibi mors subjicit arcum.

Estratto dagli *Opuscoli, Religiosi, Letterari e Morali*
Serie IV, fascicolo 41, Tom. XIV.